An. et vol. XXXXIII 18 Septembris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Encyclica, p. 577 - Constitutiones Apostolicae, p. 583 - Litterae Apostolicae, p. 586 - Epistulae, p. 589 - Nuntii radiophonici, p. 594.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Submissionis notificatio, p. 602 - *S. C. Consistorialis*: I. Decretum, p. 602; II. Declaratio, p. 603 - *S. C. Rituum*: Decreta in causis canonizationis Beatorum, p. 604.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Monitum - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze - Necrologio, pp. 610-624.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 13 – 18 Septembris 1951)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

PAG.

Ingruentium malorum. – Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de Mariali Rosario octobri praesertim mense pie recitando. – 15 Septembris 1951 577

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. DE BAHR-EL-GEBEL. *Si uberes fructus.* – Praefectura Apostolica de Bahr-el-Gebel, in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur. – 12 Aprilis 1951 583

II. DE DODOMA (Dodomaënsis). *In Tanganyikensi regione.* – Praefectura Apostolica de Dodoma in Vicariatum Apostolicum Dodomaënsem nomine evehitur. – 10 Maii 1951 584

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Gentes ad humanitatem.* – Ad titulum et dignitatem Basilicae Minoris evehitur paroecialis ecclesia Deo in honorem B. Mariae V. a Sacratissimo Rosario et S. Benedicti a Panormo, cognomento « Nigri » dicata, in civitate « Paysandù » intra fines Saltensis in Uruguay dioecesis. – 11 Novembris 1949 586

II. *Sacri Iubilaei annus.* – Sancta Maria Goretti, V. et M., Sodalitatis Filiarum Mariae Patrona caelestis aeque principalis cum Sancta Agnete, V. et M., declaratur. – 25 Novembris 1950 588

EPISTULAE

I. *The manifold manifestations.* – Ad Revmum P. Kilianum Lynch, Priorem Generalem Ordinis Fratrum B. Mariae V. de Monte Carmelo: septimo impleto saeculo ab institutione Sacri Scapularis Carmelitarum. – 30 Iunii 1951 589

II. *Praeterito.* – Ad Emum P. D. Iacobum tit. Sanctorum Bonifacii et Alexii S. R. E. Presb. Cardinalem de Barros Camara, Archiepiscopum Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, quem Legatum deligit ad Confoederationis Universae Americae Conventum de educatione catholica. – 4 Iulii 1951 591

III. *Septimo expleto saeculo.* – Ad Emum P. D. Carolum Carmelum tit. Sancti Pancratii S. R. E. Presb. Cardinalem de Vasconcellos Mota, Archiepiscopum Sancti Pauli in Brasilia, Praesidem Conventus Nationalis in Recifensi urbe habendi ob VII impletum saeculum ab institutione Sacri Scapularis Carmelitarum. – 6 Iulii 1951 592

PAG.

IV. *In perantiqua Catanensium urbe.* – Ad Emum P. D. Adeodatum Ioannem, Episcopum Sabinensem et Mandelensem S. R. E. Card. Piazza, S. Congregationis Consistorialis a Secretis, quem Legatum mittit ad sollemnia saecularia Catanae celebranda in honorem S. Agathae V. M., eiusdem urbis Patronae. – 30 Iulii 1951 593

NUNTII RADIOPHONICI

I. Christifidelibus in urbe Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii condunatis, ob Conventum de educatione catholica a Confoederatione Universae Americae indictum. – 5 Augusti 1951 594

II. Christifidelibus Catanensibus datus sollemnia saecularia celebrantibus in honorem S. Agathae V. M., ipsorum urbis Patronae. – 15 Augusti 1951 599

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Submissionis notificatio. – 30 Augusti 1951 602

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Decretum. Circa praescripta canonum 534 § 1 et 1532 § 1 n. 2 C. I. C. – 13 Iulii 1951 602

II. Declaratio. – 17 Septembris 1951 . . 603

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Calaritana.* – Decretum de « Tuto » pro canonizatione B. Ignatii a Laconi, confessoris, laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum. – 1 Maii 1951 604

II. *Bobien.* – Decretum de miraculis pro canonizatione B. Antonii Mariae Gianelli, Ep. Bobiensis, fundatoris Congregationis Sororum B. M. V. ab horto. – 1 Maii 1951 605

III. *Neapolitana.* – Decretum de miraculis pro canonizatione B. Francisci Xaverii M. Bianchi, sacerdotis professi Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum. – 1 Maii 1951 607

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 610

II. Sacra Congregazione dei Riti: Monitum – 1 Augusti 1951 610

III. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 610

IV. Necrologio 624

An. et vol. XXXXIII 18 Septembris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE MARIALI ROSARIO OCTOBRI PRAESERTIM MENSE PIE RECITANDO.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ingruentium malorum oblato conspectu, numquam destitimus, ex quo Divinae Providentiae consilio ad supremam Petri Cathedram evecti fuimus, humanae familiae sortes tutissimo Deiparae patrocinio concredere, datis in hanc rem hortativis litteris, ut probe nostis, haud semel. Quibus adhortamentis Nostris quanto studio quantaque animorum alacritate atque concordia christianae gentes ubique responderint, vobis, Venerabiles Fratres, in comperto est; id sane pulcherrime significarunt praeclara religionis in augustam Caeli Reginam iterata spectacula; atque illius praesertim totius orbis declaratio laetitiae, quam Nostris oculis quodammodo contemplari contigit, cum superiore anno, innumerae multitudinis circumsepti corona, e Petriano Foro Virginem Mariam corpore et animo fuisse in Caelum evectam sollemniter pronuntiavimus.

Verumtamen si iucunda ad cogitandum ista sunt, atque firma divinae misericordiae spe Nos consolantur, non desunt profecto in praesens gravis mestitiae causae, quae paternum sollicitent et angant animum Nostrum.

Nostis siquidem tempora, Venerabiles Fratres, quae sane calamitosa sunt: fraternam Civitatum concordiam, iam diu diffractam, nondum conspicimus ubique redintegratam, sed odiis simultatibusque passim perturbari animos videmus, atque adhuc cruentarum dimicationum pericula impendere populis; accedit saevissima illa insectationum procella, quae Ecclesiam, in non paucis terrarum orbis partibus, libertate sua destitutam, calumniis atque angustiis omne genus, ac martyrum interdum etiam effuso cruore, acerrime iamdiu divexat. Quot quantisque insidiis in iis regionibus multorum filiorum animos obnoxios conspicimus, ut avitam fidem abiciant, atque ab unitate cum hac Apostolica Sede miserrime recedant! Nec denique tacite omnino praeterire possumus novum patratum facinus, de quo non Vos tantum, sed cunctum quoque clerum, parentes singulos, ipsosque rei publicae moderatores summo animi moerore commonere percupimus; nequissima dicimus illa impietatis molimina contra candidam puerorum innocentiam. Ne insonti quidem aetati temperatum est, cum non desint, proh dolor, qui flores ipsos decerpere temere audeant, mystico in Ecclesiae viridario religionis et civitatis spes pulcherrima succrescentes. Quae qui cogitaverit, non nimium mirabitur, si late populi divinarum animadversionum pondere ingemiscant afflicti, metuque graviorum calamitatum adeo detineantur.

Attamen tot discriminum gravitatem cogitatione complectentes, ne despondeatis animum, Venerabiles Fratres, sed illius memores divini oraculi: « Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis »,[1] contentiore fiducia ultro ad Deiparam Virginem animo convolate, ad quam trepidis in rebus confugere christianae genti praecipuum semper ac sol-

[1] Luc. 11, 9.

lemne fuit, quandoquidem ipsa « universo generi humano causa facta est salutis ».[2]

Non sine ergo laeta exspectatione erectaque spe Octobrem mensem conspicimus redeuntem, quo christifideles, frequentiore ad sacras aedes accursu, Mariam per sanctissimi Rosarii preces exorare assolent. Preces hasce ipsas, Venerabiles Fratres, impensiore animi sollertia quam necessitates ingravescentes exposcunt, hoc anno adhiberi cupimus. Nobis enim probe perspecta est huiusmodi precationis efficacitas atque vis ad maternam Virginis opem impetrandam. Quam quidem, etsi non uno orandi modo demereri licet, Mariali tamen Rosario, prout eius origo caelestis potius quam humana eiusdemque ratio vehementer commendat, optime id fieri uberrimeque arbitramur.

Quid enim aptius, quid pulchrius floribus quibus haec mystica corona nectitur, oratione scilicet dominica angelicoque praeconio? Cum autem praecibus voce iteratis sacrorum etiam accedat mysteriorum contemplatio, saluberrime inde fit, ut omnibus, vel rudibus vel indoctis, prompta ac facilis ratio pateat ad fidem fovendam tuendamque. Ac revera, crebra eorum cogitatione animus sensim sine sensu vim insitam haurit ac combibit, ad immortalium bonorum spem mire inflammatur, atque ad ipsius Christi eiusque Matris vestigia sectanda fortiter suaviterque adducitur. Ipsa denique tot vicibus iisdem formulis iterata precatio, nedum quid sterile molestique habeat, qua mirabili contra pollet virtute, ut experiundo est, ad suadendam orantibus impetrationis fiduciam, et ad materno Mariae Cordi quasi suavem vim inferendam!

Vobis igitur, Venerabiles Fratres, impensae curae sit, ut christifideles, mensis proximi opportunitate capta, tam frugiferum orandi officium quam diligentissime persolvant, ac eorum in opinione et consuetudine latius in dies pateat. Per vos eius dignitas, vis atque praestantia christiano populo apprime innotescant.

[2] S. Iren., *Adv. haer.*, III, 22; *MG*, VII, 959.

At peculiari modo Nostris in optatis est, ut intra domestica septa eius usus passim ubique refloreat, religiose custodiatur, novisque vigeat incrementis. Frustra enim civilis consociationis sortibus collabentibus mederi contenditur, nisi domestica societas, totius humanae convictionis principium atque firmamentum, ad Evangelii normam diligenter componatur. Huic arduo persolvendo muneri, domesticam Rosarii consuetudinem peraptam asseveramus. Quam suave, acceptissimumque Deo spectaculum, cum, decedente die, iteratis in augustam Caeli Reginam laudibus, christiana personat domus! Tunc communis huiusmodi precatio parentes ac liberos, a diurnis operibus recedentes, ante Virginis effigiem mira animorum concordia inter se congregat; eos deinde pie coniungit cum absentibus, cum vita functis; omnes tandem suavissimo amoris vinculo arctius Beatissimae Mariae devincit, quae, ut amantissima mater in corona filiorum, praesens aderit, unitatis et pacis domesticae munera affluenter impertiens. Tunc christianae familiae domus, ad exemplar Nazarethanae Familiae conformatae, terrestre sanctimoniae domicilium ac veluti aedes sacra fiet, in qua Mariale Rosarium non tantum erit peculiaris orandi forma, cotidie ad Caelum in odore suavitatis ascendens, sed efficientissima quoque christianae disciplinae christianaeque virtutis exstabit schola. Enimvero mira Redemptionis mysteria ad contemplandum proposita causa erunt cur aetate provecti, ob oculos praeclara exempla Iesu et Mariae habentes, ea cotidie in vitae usum deducere assuescant, ex iisdem hauriant in arctis et asperis rebus solatia, iisdemque permoti, ad caelestium bonorum thesauros utiliter revocentur « quo fur non appropriat, nec tinea corrumpit »; [3] puerorum vero mentibus ita inserent praecipua christianae fidei capita, ut eorum in insonti animo erga benignissimum Redemptorem quasi sponte efflorescat caritas, dum ii, suorum praelucente parentum exemplo, Dei maiestatem flexis genibus verentium, iam a teneris addi-

[3] Luc. 12, 33.

scent annis, quantopere preces valeant ad Dei solium communiter admotae.

Rursus igitur affirmateque profiteri non dubitamus magnam Nos in Mariali Rosario spem reponere ad nostrorum sananda temporum mala; Ecclesia enim non vi, non armis, non humanis opibus innixa, sed superno auxilio huiusmodi precibus impetrato, tamquam davidica funda instructa, id habet ut impavida infernum adoriatur hostem, cui quidem potest adulescentis pastoris proferre voces: « Tu venis ad me cum gladio et hasta et clipeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum...; et noverit universa ecclesia haec, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus ».[4]

Quamobrem vehementer cupimus, ut omnes, Venerabiles Fratres, vobis quidem praeeuntibus atque adhortantibus, paternis hisce monitis Nostris, coniunctis animis ac vocibus eodemque caritatis ardore, religiose respondeant. Si mala malorumque molimina increscunt, increscat pariter ac vigescat cotidie magis bonorum omnium pietas; qui quidem ab amantissima Matre nostra hoc praesertim supplicandi modo, eidem sane carissimo, ut Ecclesiae humanaeque consortioni meliora quam primum illucescant tempora, contendere enitantur.

Impetret, precemur omnes, ab Unigena suo Dei Genitrix potentissima, tot filiorum exorata vocibus, ut qui a veritate virtuteque misere aberraverint, ad eas renovato animo se recipiant, ut odia simultatesque, quae discordiarum omneque genus miseriarum sunt fontes, feliciter componantur; ut pax, quae vera, aequa sinceraque sit, tum singulis, tum domesticis convictibus, tum populis ac gentibus auspicato affulgeat; ut denique Ecclesiae iuribus, quemadmodum fas est, in tuto positis, benefica illa vis, quae ex ea oritur, in hominum animos, in civium ordines, in ipsiusque rei publicae venas libere permanans, populorum familiam fraterno foedere coniungat; eamque ad prosperitatem illam adducat, quae omnium officia et iura tempe-

[4] *1 Reg.* 17, 44, 49.

ret, tueatur, componat, quae neminem laedat, sitque mutua necessitudine mutuaque conspiratione et opera cotidie maior.

Neque ii absint e mentibus vestris, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, dum Mariali Rosario novos supplicando nectitis flores, neque ii absint, dicimus, qui in captivitate, in carceribus, in publicae custodiae campis misere detinentur. Sunt, ut nostis, inter eos sacrorum etiam Antistites, idcirco e sua sede deturbati, quod sacrosancta Dei Ecclesiaeque iura strenuo pectore vindicarunt; filii sunt ac patres matresque familias longe a domesticis laribus abstracti ac per ignotas terras subque ignotos caelos infelicem traducentes vitam. Quemadmodum hos omnes peculiari Nos caritate adamamus, paternoque complectimur animo, ita vos, fraterno illo amore permoti, quem christiana religio alit ac refovet, una Nobiscum ad Deiparae Virginis aram comprecantes, materno eius Cordi commendate supplices. Eorum procul dubio ipsa suavissime leniet mulcebitque dolores, spe proposita aeterni praemii; atque etiam, ut vehementer confidimus, tot miseriarum quam primum maturabit finem.

Haud dubitantes, Venerabiles Fratres, vos studiosa ea, qua soletis, diligentia haec paterna hortamenta Nostra, aptiore quo duxeritis modo, cum clero populoque vestro esse communicaturos; itemque pro certo habentes quotquot ubique gentium habemus in Christo filios invitationi huic Nostrae fore ultro libenterque responsuros, gratae voluntatis Nostrae testem ac caelestium gratiarum auspicem, cum vobis singulis universis, tum gregi unicuique vestrum concredito — iis nominatim, qui ad mentem hanc Nostram per Octobrem praesertim mensem Mariale Rosarium pie recitaverint — Apostolicam Benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xv mensis Septembris, in festo Septem Dolorum B. Mariae Virginis, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE BAHR-EL-GEBEL

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE BAHR-EL-GEBEL IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si uberes fructus, per indefessum evangelii praeconum laborem, catholica res in quadam exordiente inter ethnicos Ecclesia rettulerit, congruum sane videtur Missionem illam ad maioris dignitatis gradum evehere. Cum itaque Praefectura Apostolica *de Bahar-el-Gebel* in Sudan Anglico-Aegyptiaco, sodalium Congregationis Filiorum S. Cordis Iesu apostolicis curis concredita, non mediocre, postremis potissimum hisce annis, incrementum quoad religionem et missionalia opera susceperit, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum consilio, habita quoque venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia, et in Africa Orientali et Occidentali ditionis Britannicae Delegati Apostolici, favorabili sententia, omnibus mature perpensis ac certa scientia, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Apostolicam quam memoravimus Praefecturam de Bahr-el-Gebel, eius nomine et finibus servatis, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem extollimus, eundemque iisdem Congregationis Filiorum S. Cordis Iesu Sodalibus sicut antea commissum volumus, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum.

Huic itaque novo Vicariatui Apostolico de Bahr-el-Gebel eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii pu-

blici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die duodecima Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Alfonsus Carinci, Archiep. Seleucien., *Dec. Proton. Apost.*
Ioseph Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 5 – Al. Trussardi.

II

DE DODOMA
(DODOMAËNSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE DODOMA IN VICARIATUM APOSTOLICUM DODOMAËNSEM NOMINE EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In Tanganyikensi regione ditionis Britannicae, Praefectura Apostolica de Dodoma, sollertia et industria Congregationis Clericorum excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. sodalium, quibus iam ab anno millesimo nongentesimo tricesimo quinto concredita est, tanta, uti accepimus, incrementa, praesertim postremis his temporibus, accepit, ut digna facta sit, quae ad maioris dignitatis gradum evehatur. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum consilio, habita quoque favorabili sententia venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archie-

piscopi titulo Apameni in Bithynia, et in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegati Apostolici, omnibus mature perpensis ac certa scientia, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Apostolicam quam diximus Praefecturam de Dodoma in Vicariatum Apostolicum Dodomaënsem nomine erigimus et constituimus et illum eorumdem quos memoravimus Missionalium curis, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, commissum ut antea volumus. Novo itaque huic Vicariatui Dodomaënsi eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri Vicariatus Apostolici per orbem eorumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus ac iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis eandem volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decimo Maii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 62 – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

AD TITULUM ET DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR PAROECIALIS ECCLESIA DEO IN HONOREM B. MARIAE V. A SACRATISSIMO ROSARIO ET S. BENEDICTI A PANORMO, COGNOMENTO « NIGRI » DICATA, IN CIVITATE « PAYSANDÚ » INTRA FINES SALTENSIS IN URUGUAY DIOECESIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Gentes ad humanitatem civilemque cultum informare atque populos in libertatem, « qua libertate Christus nos liberavit », vindicare, semper Sanctae Matris Ecclesiae mos fuit summaque laus. Quo enim Regnum Christi per longinquas dissitasque regiones magis magisque dilatatur, eo praestantiores Religionis ac bonarum artium flores surgunt uberioresque fructus: incolae quidem, « aliquando non populus », postmodum, christiana micante luce, « populus Dei » mire efficiuntur. Haud aliter accidisse, inter XVI saeculum et XVII, in Uruquariana quoque dicione omnibus compertum est, quae, Evangelico per Fratres Minores Franciscales accepto praeconio, ad tantum pervenit humanitatis cultum, ut, proximo elapso saeculo, in libertatem vindicata, sui iuris feliciter facta sit. Cuius religiosae civilisque historiae conspicuum exstat monumentum, paroeciale scilicet Templum, quod, in civitate vulgo « Paysandú » Saltensis dioecesis, anno MDCCCLX, exaedificatum atque Beatae Mariae Virgini a Sacratissimo Rosario et Sancto Benedicto a Panormo, anno MDCCCLXXIII, dicatum, magna fidelium vi frequens est magnamque habet admirationem. Etenim, altitudine et amplitudine conspicuum atque duabus praeditum sacris turribus, « classico », quem vocant, stylo a claris artificibus italicis, sive architectis sive pictoribus, ita confectum fuit, ut Patriarchalis Basilicae Vaticanae similitudinem quodammodo exprimere videretur. Attamen impensa liturgica ac religiosa vita in ipso vigens Christifidelium animos potissimum allicit. Inde enim ab anno MDCCCLXXXI, Sancto Ioanne Bosco adhuc vivente, Societatis Sancti Francisci Salesii sodales, quibus Templum fuit concreditum, pietatem, Eucharisticam praecipue ac Marialem, quam maxime favent. Quibus omnibus perpensis, dilectus filius Aloysius Vaula, Sacerdos atque Inspector Salesianus, humiles Nobis preces adhibuit ut memoratam Ecclesiam paroecialem in civitate « Paysandú » po-

sitam ad dignitatem Basilicae Minoris evehere dignaremur. Nos autem ad fidelium pietatem magis in dies augendam, huiusmodi vota, amplissima Venerabilis Fratris Alafridi Viola, Saltensis in Uruguay Episcopi, commendatione suffulta, excipere perlibenter statuimus. Audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, paroecialem Ecclesiam, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Sacratissimo Rosario nec non Sancti Benedicti a Sancto Philadelphio, cognomento « Nigri », ex Ordine Minorum Franciscalium, Confessoris, dicatam atque in civitate « Paysandú », intra Saltensis in Uruguay dioeceseos fines, exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris,* omnibus adnexis liturgicis privilegiis eidem titulo competentibus, decorare atque honestare decrevimus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illique Ecclesiae, ad quam pertinent, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Novembris, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

II

SANCTA MARIA GORETTI, V. ET M., SODALITATIS FILIARUM MARIAE PATRONA CAELESTIS AEQUE PRINCIPALIS CUM SANCTA AGNETE, V. ET M., DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacri Iubilaei annus, qui non uno nomine hominum memoriae commendatur, etiam eo quod suavem puellam Mariam Goretti, castae virginitatis laude decoram atque purpurea corona caput redimitam, in Petriani fori magnificentia, Christifidelium multitudine redundantis, ad sanctitatis honorem sollemniter Nos proveximus, iure ceperunt gaudium adulescentulae, quae, sub signis Almae Deiparae et Sanctae Agnetis militantes, in Sodalitate, quam dicunt « Piam Unionem filiarum Mariae », conversantur. Non secus enim ac Beata Agnes, Sancta Maria Goretti, Christi amore praeventa, fortius quam pro tam viridi aetate obstitit corruptelae et, quae vix habuit quo ferrum reciperet, diffuso sanguine pulcherrima tulit victrix tropaea. Neque absque peculiari consilio divino id evenisse videtur recentiore hac aetate, qua impietas ac turpitudo saeculum plene oppleverunt, ita ut omni suboli juventutis, tot jactatae procellis totque obnoxiae periculis, novum praefulgeat exemplum in cuius sese formet mores ac virtutes. Atque augebatur laetitia quod herois inclyta, antequam, vulneribus confossa, pia morte verecunda clauderet lumina, inter Filias Mariae, voluerat ascribi. Tantae igitur sodalis triumpho quasi domestica laude glorians, Consociatio Filiarum Mariae, « Piae Unioni Primariae » ad Sanctam Agnetem extra moenia Urbis aggregat, eam una cum Sancta Agnete Celestem sibi Patronam statuit adoptare, ut, quibus eadem esset laurea castitatis et certaminis, earum socia tuitione iugiter obtegeretur. Quae vota dilectus filius Aloisius Smith, hodiernus Abbas Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, idemque Sodalitatis Filiarum Mariae Supremus Moderator, submisse Nobis deprompsit. Nos autem, quo venustus hic et intemeratus flos mortalium genus caelesti odore latius afflaret et puellae ad castimoniam amandam, servandam, tuendam impensius provocarentur, has supplicationes libenti animo decrevimus audire. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum vi perpetuumque in modum *Sanctam Mariam Goretti, Virginem et Martyrem, Sodalitatis Filia-*

rum Mariae Caelestem Patronam aeque principalem cum Sancta Agnete, constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Novembris, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

EPISTULAE

I

AD REVM̃UM P. KILIANUM LYNCH, PRIOREM GENERALEM ORDINIS FRATRUM B. MARIAE V. DE MONTE CARMELO: SEPTIMO IMPLETO SAECULO AB INSTITUTIONE SACRI SCAPULARIS CARMELITARUM.

The manifold manifestations of sincere Catholic piety which have characterized the celebration throughout the world of the seventh centenary of the institution of the Scapular of Our Lady of Mount Carmel have afforded Us much joy and consolation of spirit. It is with especial affection, therefore, that We extend to you, beloved son, and to all Our dearly-beloved children of the Carmelite family Our paternal felicitations, as the hymn of prayerful praise and joyful thanks evoked by the centenary celebrations is swelling to its grand finale.

Wafted out over the waves which lap the shores of Kent, this hymn will be taken up in divers tongues by the faithful of the various nations of the earth who have donned the Scapular that, under the inspiration of the Mother of God, they may grow in the likeness of her divine Son, Jesus Christ. But, in the storied halls and hallowed grounds of the

hermitage of Aylesford, this paean of praise of the Blessed Virgin will resound with a distinctive quality as, sweetened by haunting harmonies of former generations and enriched by dulcet overtones from a historic past, it recaptures a melody suspended for nigh four centuries.

By a benign dispensation of Divine Providence which reaches from end to end mightily and orders all things sweetly (*Wisd.* VIII, 1), it is your happy privilege, beloved son, to close the cycle of these centenary celebrations with a function of historic import, namely, the transfer of the mortal remains of Saint Simon Stock from their sheltered exile on the hospitable shores of France to their rightful place in the Dowry of Mary, to the home of his earthly sojourn at Aylesford. For you as for all Our dearly-loved children of England this event must be a source of untold joy in this year of national festival.

Seven hundred years have passed since, according to the sacred traditions of the Carmelite family, Simon Stock was vouchsafed the vision of Our Lady of Mount Carmel, yet, in the light of that vision, countless thousands throughout the world sustain the warfare of life and walk through the darkness and shadow of death to the mount of God. What more fitting close, therefore, could there be to the Sept-centenary celebrations of the Scapular than that the hallowed remains of him who sang the praises of the Flower of Carmel should have come to rest again in Aylesford for the festival of promise which he opened to the world-the feast of Our Lady of Mount Carmel. May she who is the Mother of Fair Love, and of knowledge, and of holy hope strengthen the bonds of faith, hope and charity which link those who participate in these festive celebrations.

With this prayer in Our heart, We cordially impart to you, beloved son, and to all those associated with you in these ceremonies of prayerful thanksgiving Our paternal Apostolic Blessing.

From the Vatican, June 30th 1951.

PIUS PP. XII

II

AD EM̃UM P. D. IACOBUM TIT. SANCTORUM BONIFACII ET ALEXII S. R. E. PRESB. CARDINALEM DE BARROS CAMARA, ARCHIEPISCOPUM SANCTI SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII, QUEM LEGATUM DELIGIT AD CONFOEDERATIONIS UNIVERSAE AMERICAE CONVENTUM DE EDUCATIONE CATHOLICA.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Praeterito quidem mense Maio anni MCMIL, per Epistulam Nostram, cui initium « Sobremaneira grata », libenter iam gratulati sumus de ardenti studio, quo Confoederatio universae Americae de Educatione Catholica proximam Congressionem, in ista urbe Brasiliae capite indictam, apparare contendit. Praecipuas quoque quaestiones ibidem attigimus, quae de variis paedagogicis rationibus in praesenti tempestate agitantur, simulque in memoriam revocavimus normas de tradenda iuventuti christiana educatione, quas esse fideliter servandas eorum, qui educandi funguntur officio, quam maxime interesse debet. Quum autem de argumento agatur tanti ponderis ac momenti, quod attinet non modo ad singulos homines, sed ad domesticam ipsam civilemque consortionem, huiusmodi congressui adesse quodammodo ac praeesse constituimus. Te itaque, Dilecte Fili Noster, qui praenobilem istam metropolitanam sedem actuose moderaris et Romanae purpurae splendore coruscas, Legatum Nostrum per hasce Litteras deligimus ac renuntiamus, ut proximum Congressum ex tota America de catholica educatione celebrandum nomine et auctoritate Nostra praesideas. Interea Deum supplici imploramus precatione, ut mentes animosque eorum, qui istuc convenient, illustret ac regat, itemque consilia ac proposita ad felicem exitum perducat. Cuius quidem divini muneris auspicium, peculiarisque benevolentiae Nostrae testimonium, Apostolica esto Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctisque de Catholica Educatione sodalibus eorumque laborum sociis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IV mensis Iulii, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

III

AD EM̃UM P. D. CAROLUM CARMELUM TIT. SANCTI PANCRATII S. R. E. PRESB. CARDINALEM DE VASCONCELLOS MOTA, ARCHIEPISCOPUM SANCTI PAULI IN BRASILIA, PRAESIDEM CONVENTUS NATIONALIS IN RECIFENSI URBE HABENDI OB VII IMPLETUM SAECULUM AB INSTITUTIONE SACRI SCAPULARIS SARMELITARUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Septimo expleto saeculo ad instituto sacro Scapulari Deiparae de Monte Carmelo, consilium istic initum est, ut libenter didicimus, celebrandi, medio hoc mense, Marialem ex tota natione Congressum, cui quidem tu, Dilecte Fili Noster, clarissimae sedis istius moderator, sollemniter praesidebis. Scimus praeterea bonos Brasilienses fideles in ea, quae « Peregrinatio Mariae » appellatur, splendidas iam dedisse erga caelestem Reginam pietatis amorisque significationes. Certa autem tenet spes, proxima saecularia sollemnia, pro tua aliorumque sacrorum Antistitum praesentia, pro populi ipsius frequentia ac fervido studio praeeuntibus quidem publicis magistratibus, in magnificum triumphum Virginis de Monte Carmelo, simulque per sacri Scapularis devotionem in animarum profectum feliciter esse evasura. Quapropter Nosmet Ipsi non modo pia ac salutaria incepta merita laude exornamus secundisque votis prosequimur, sed tibi ultro potestatem largimur, ut, constituta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Superni interea auxilii in auspicium, inque praecipuae caritatis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, iisque universis, qui Marialibus sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI mensis Iulii, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EM̃UM P. D. ADEODATUM IOANNEM, EPISCOPUM SABINENSEM ET MANDELENSEM S. R. E. CARD. PIAZZA, S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS A SECRETIS, QUEM LEGATUM MITTIT AD SOLLEMNIA SAECULARIA CATANAE CELEBRANDA IN HONOREM S. AGATHAE V. M., EIUSDEM URBIS PATRONAE.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — In perantiqua Catanensium urbe, uti iucunde cognovimus, medio Augusto mense proximo sollemnia saecularia celebrabuntur, postquam Sancta Agatha Virgo gloriosi martyrii promeruit coronam. Quae quidem celebratio, et festiva apparatuum copia sacrorumque rituum magnificentia et augusta Antistitum ecclesiarum civiliumque magistratuum praesentia et studiosa fidelium undique Siciliae convenientium frequentia, publica profecto ac fervida exstabit gratiarum actio ob innumera beneficia, quae illustris ac venerata Patrona, tot saeculorum decursu, pro deditis devotisque sibi clientibus a divina munificentia impetravit.

Hac praeterea saeculari commemoratione non modo cultus erga caelestem Deprecatricem novum splendorem accipiet atque incrementum, sed aptissime exacuetur in populo studium imitandi virtutes, quibus intrepida Martyr coruscavit.

Nos igitur, quibus nihil est antiquius, quam ut maiorum praeclare gesta fidelium virtutem exacuant eosque ad strenuam fidei professionem vitaeque sanctitudinem vehementer alliciant, opportuna inita consilia ad saeculares honores Sanctae Agathae tribuendos libenti animo dilaudamus atque enixe commendamus. Quin immo, ut Ipsi celebrationi quodammodo adesse ac praeesse possimus, te, Venerabilis Frater Noster, qui, amplissimo Ecclesiae senatui cooptatus, operam tanti momenti in Romana Curia Nobis confers, Legatum Nostrum eligimus ac renuntiamus, ut sacris sollemnibus, quae in honorem Sanctae Agathae proxime Catanae perficientur, Nostram gerens personam praesideas.

Nostris pariter verbis Catanensem populum ceterosque fideles, sacris sollemnibus adfuturos, iuvenesque praesertim moneto, nihil fore caelesti Patronae acceptius ipsisque salutarius, nullam meliorem Martyris illius celebrandae rationem persequi eos posse, quam si, inter tot saeculi huius pravitates ac vitiorum blandimenta, clarissimum Agathae exemplum prae oculis semper habentes, morum integritatem fideliter

servent et catholicam fidem constanti atque inconcusso animo palam aperteque profiteantur.

Quo autem proximae celebrationes largiorem fructuum copiam christiano populo afferre queant tibi ultro facultatem damus, ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Cuius interea caelestis opis praenuntia ac peculiaris Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, simulque Archiepiscopo Catanensi eiusque Coadiutori necnon aliis Praesulibus cunctisque iis, qui sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Iulii, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

NUNTII RADIOPHONICI

I

CHRISTIFIDELIBUS IN URBE SANCTI SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII CONDUNATIS, OB CONVENTUM DE EDUCATIONE CATHOLICA A CONFOEDERATIONE UNIVERSAE AMERICAE INDICTUM. *

Veneráveis Irmãos e dilectos filhos,

O máximo interesse com que, desde a sua preparação nesta alma Cidade, temos seguido o vosso Congresso, move-Nos agora, concluidos felizmente os trabalhos, a dirigir-vos mais uma vez a palavra, para o coroar e abençoar em nome d'Aquele que é o único Mestre nosso — *Unus est Magister vester* — e de cuja pedagogia vós sois e vos propondes ser cada vez mais fieis realizadores e apóstolos.

Quando vós, há dias, provenientes de todas as longitudes do continente Americano, entraveis nessa maravilhosa metrópole Brasileira, parecia-Nos ver o Redentor divino, que do excelso pedestal granítico, donde domina a cidade, estendia para vós os braços num largo gesto de Boas-Vindas, repetindo-vos a sentença que transformou o mundo: « Deixai vir a Mim os pequeninos, porque de tais é o Reino dos ceus». Ele presenciou as vossas sessões, Ele assistiu aos vossos trabalhos, Ele de certo

* Datus die 5 Augusti mensis a. 1951.

inspirou as vossas resoluções; e é nEle e por Ele que a Nossa palavra quer ser primeiro congratulação e parabéns, depois exortação e incentivo.

Congratulação e parabéns pelo notabilíssimo incremento e conquistadora importância que a vossa Confederação vai assumindo, como prova à evidência o actual Congresso, tanto pelo número, como pela categoria dos vogais que o constituiram; congratulação e parabéns pela grande obra já realizada em prol da nobilíssima causa da Educação, que é finalmente a causa sacrosanta do Reino de Deus. Os votos formulados há tres anos, no Congresso reunido em La Paz, vão-se tornando consoladora realidade; e os resultados já obtidos, como são promessa segura de outros maiores, são poderoso estímulo a avançar constantemente à conquista de metas cada vez mais elevadas.

E que meta mais elevada do que a realização efectiva c universal do tema versado no Congresso? Deixai que Nos refiramos a ele, não para o desenvolver de novo, depois que foi amplamente dilucidado por tantos e tão competentes especialistas, mas para frizar a sua transcendência e actualidade, grande em todos os tempos, grandíssima nestes nossos.

Que coisa mais trascendente na vida da humanidade do que a educação? A criança, o adolescente (disse-se já e bem) é « uma esperança »: prometedora esperança da família, da pátria, de toda a humana sociedade; mas simultaneamente preciosa esperança da Igreja, do céu, do próprio Deus, a cuja imagem e semelhança foi feita, cujo filho é ou deve ser. Para que essa esperança não falhe, mas plenamente se realize, é preciso educá-la e bem. Educação física, que robustece as energias do corpo; educação intelectual, que desenvolve e enriquece as capacidades do espírito; sobretudo educação moral e religiosa que ilumina e guia a inteligência, que forma e fortifica a vontade, que disciplina e santifica os costumes, e só dá à imagem de Deus a semelhança com o protótipo divino, que a faz digna de figurar nas galerias eternas.

A educação que prescinde de ser moral e religiosa, é mutilada da sua maior e melhor parte, descura as mais nobres faculdades do homem, priva-se das energias mais eficazes e vitais, e termina por deseducar, misturando incertezas e êrros à verdade, vicios à virtude, mal ao bem. Hoje os melhores pedagogos vêem-no sentem-no e esforçam-se em remediar deficiências passadas, aperfeiçoando métodos e talvez procurando afanosamente uma educação nova. Mas a moral verdadeira e a verdadeira religião é uma só, como só uma é a Verdade: fundamental e substancial, Deus; -revelada, Cristo; -conservada e ensinada sem êrros nem lacunas:

Igreja católica. Não era católico o pensador que disse: « O Catolicismo, eis a maior e a mais santa Escola de Respeito, que nunca viu o mundo ».[1]

Bem avisada pois a Confederação de Educação Católica quando propôs ao estudo dos congressistas tema tão transcendente, para arraigar as vossas convicções, para as inculcar e transfundir em quantos se integram no vosso movimento, desde os cultores dos jardins da infância, aos lentes das universidades; para as difundir por todo o Continente a estimular e orientar e corrigir e aperfeiçoar tantos nobilíssimos esforços que hoje se fazem nos vastos domínios da Pedagogia.

Mas o tema versado, se é transcendente em todos os tempos, é de flagrante actualidade e de necessidade imperiosa nestes nossos, e primeiro porque tem de suprir uma deplorável lacuna, agora tristemente agravada.

A educação do homem começa no berço, e a primeira escola, insubstituível, é a do lar doméstico. « Por mais cedo que se comece, nunca é cedo demais para formar o caracter e os costumes da criança », dizia já a sabedoria pagã.[2] Como nas ciências, assim, análogamente, na vida tudo depende dos primeiros princípios.

Ora hoje nas famílias cristãs, se as há modelares, onde se sente e se vive a grande responsabilidade de bem educar os filhos, anexa por lei da natureza à paternidade, é também verdade, triste verdade, « a deplorável decadência da educação familiar » que em gravíssimos termos lamentava Nosso imortal Predecessor na Encíclica *Divini illius Magistri*: « Para os empregos e profissões da vida temporal e terrena... requerem-se longos estudos e cuidadosa preparação; mas para o ofício e dever fundamental da educação dos filhos pouco ou nada se preparam hoje muitos pais, demasiado imersos no cuidado do temporal.[3]

Eis a primeira, gravíssima tarefa que hoje incumbe ao educador católico: suprir a deficiência da escola doméstica. Mas as tarefas sucessivas não são menos graves ou agravadas actualmente.

A criança, não educada ou deseducada, é entregue à escola pública, onde o ensino oficialmente neutro não forma e tanta vez deforma os espíritos; onde o ambiente é com assustadora frequência pouco sàdio; para não falar « nas outras ocasiões de naufrágio moral e religioso para a incauta juventude,... assinaladamente nos livros ímpios ou licenciosos,... nos espectáculos cinematográficos,... nas audições radiofónicas » como deplora o Nosso mesmo Predecessor na aludida Encíclica.[4]

[1] Guizot apud Dupanloup, *L'Education*, t. I, pag. 112.

[2] Ps.-Plutarchus, *De educat. puerorum*, n. V.

[3] *Acta Ap. Sedis*, vol. 22, 1930, pag. 74.

[4] *L. c.*, pag. 81.

É contrastando todas estas dificuldades, que a vossa educação tem de formar na adolescência definitivamente a imagem do Criador, segundo o protótipo do Primogénito de toda a criação, e dar-lhe têmpera tão rija que não se deforme, antes se aperfeiçoe uma vez lançada no turbilhão da vida civil e social hodierna. Quer dizer: numa atmosfera cruzada em todos os sentidos de propagandas habilmente organizadas, de interesses contrastantes que não distinguem o justo e honesto do imoral e injusto; onde tanta vez se ouvem os êrros mais absurdos arvorados em máximas de bem viver; onde o mesmo ritmo da existência, cada vez mais precipitado, arrebata o homem e o tem curvado sobre os interesses materiais do momento fugitivo, sem lhe deixar tempo de erguer-se a olhar o céu, a orientar-se, a pensar nos interesses eternos.

Se o jovem, terminada a educação, não sai sòlidamente formado, se essa imagem de Deus sai moldada em matéria branda e maleável, é impossível que, sujeita assim a pressões opostas, batida de tantos encontros, não esteja em breve completamente deformada.

Pior ainda se levasse em si mesmo os princípios activos de deformação nos apetites desenfreados, nas paixões não domadas e desregradas, não tardariam a vicejar desordens e vícios, « como as estátuas de murta que se vêem em jardins principescos, — diria o príncipe dos vossos oradores, — as quais, apenas o jardineiro levantou a mão, abandonadas a si mesmas, em quatro dias perdem a nova figura e tornam a ser mato como dantes eram ».

É preciso que a vossa educação lhe dê a têmpera rija do bronze ou do granito dessas montanhas, e então os contínuos embates, os choques inevitáveis da vida moderna, longe de a deformarem, servirão a polí-la e aperfeiçoá-la, e ela aparecerá « homem cada vez mais perfeito. e talvez um santo que se pode pôr no altar ».[5]

Tarefa sobremodo árdua e difícil, que só pode levar felizmente a efeito uma formação cristã e católica, que saiba aproveitar todos os progressos da pedagogia, joeirados porém criteriosamente para discernir o oiro do ouropel; que actuando directamente sobre as melhores energias do homem, indirectamente influa sobre a instrução e a própria higiene, animando-as de novo espírito, sublimando-as e preservando-as de fatais desvios e de aberrações funestas; que aos recursos naturais junte os sobrenaturais, às energias disciplinadas da inteligência e da

[5] Cfr. A. Vieira, *Sermões*, vol. III (1683), pag. 404, 420.

vontade acrescente as luzes da fé e as forças da graça, as quais sós tornam possível quanto humanamente parece impossível.[6]

Não era substancialmente diversa a pedagogia que educou o Brasil no berço da sua nacionalidade (para Nos referirmos ùnicamente à grande Nação que hospedou o Congresso), quando o centro à volta do qual se formavam as cidades, era a igrepa ao lado da escola, coadjuvando-se e completando-se mutuamente. Foi ela que vincou na fisionomia do Brasil os traços característicos que mais o nobilitam no convívio das Nações, como reconhecem à unanimidade as suas autoridades mais competentes em història e pedagogia. Foi ela que lhe deu os cidadãos mais beneméritos da Igreja e da Pátria, a começar pelos primeiros « graduados » que em mil quinhentos e setenta e cinco receberam os graus académicos, « aos quais ninguém tinha subido no Brasil desde todos os séculos », como com ingénua ufania releva o velho cronista.[7]

Será ela ainda, actualizada e aperfeiçoada como convém, que tornará cada vez mais prósperas as vossas Pátrias, fazendo que se logrem as esperannças que em magnífica primavera nelas florescem; preservando-as de tantos perigos que ameaçam a fé, a moral, a mesma ordem social; de modo que seguras avancem na senda do verdadeiro progresso para os elevados destinos que a Providência lhes traçou.

Tal é a transcendência incomensurável e a flagrante actualidade do tema versado neste Quarto Congresso Interamericano de Educação Católica. Só resta que com a bênção do Redentor e Educador divino e com a vossa infatigável cooperação a doutrina amplamente estudada se traduza prontamente na prática e se torne fermento benéfico de bem, que levede completamente e salutarmente a Educação da juventude em todo o vasto Continente Americano.

Com estes votos damos a vòs e a todos os aderentes à Confederação Interamericana de Educação Católica, como penhor da Nossa especial benevolência, a Bênção Apostólica.

[6] Cfr. Luc. 18, 27.

[7] Apud Serafim Leite, *Páginas de História do Brasil*, Brasiliana, vol. 93, pag. 25.

II

CHRISTIFIDELIBUS CATANENSIBUS DATUS SOLLEMNIA SAECULARIA CELEBRANTIBUS IN HONOREM S. AGATHAE V. M., IPSORUM URBIS PATRONAE. *

Nel compiere l'atto, al quale la vostra pietà religiosa Ci ha invitati a maggior lustro della solennità in onore della vostra gloriosa Patrona Sant'Agata, quello che il Nostro cuore ha inteso di fare e voi stessi aspettate da Noi, diletti figli della cattolica nobilissima Catania, non è propriamente la esibizione spettacolosa di uno di quei prodigi della scienza che cantano oggi con voce nuova le mirabili grandezze di Dio, il quale « agli uomini ha dato l'intelligenza, perchè traessero vanto dalle sue potenti opere ».[1] Ciò che voi attendete e a Noi preme di significarvi, è ben altro: è il contenuto spirituale di questo simbolico gesto, per cui il venerando simulacro della vostra Patrona — trionfante sulla vetusta colonna, quale palladio della Città, e ricordo sempre presente ai cittadini, — si è questa sera illuminato al Nostro cenno e fa attenti su di lei, come forse non mai, i vostri sguardi e i vostri cuori.

La luce, di cui l'antico simulacro splende questa sera sui vostri festeggiamenti, è pallida figura, che non può reggere al confronto della luce meravigliosa onde questa eroina della professione cristiana, questa martire delle prime persecuzioni, rifulge nei fasti delle chiese di Occidente e di Oriente, per la sua intrepida costanza nella fede, per il suo amore di Gesù Cristo, per la sua predilezione della virtù, rivelatasi, per Gesù Cristo, l'unico vero supremo bene degli uomini.

La vostra storia, diletti Catanesi, non ha memorie che vincano il tempo e l'oblio come la gloriosa vicenda di questa Martire, che dopo tanti secoli è viva e presente agli spiriti, ammonitrice della vostra vita, della vostra fede, dei vostri costumi, con una evidenza e con una efficacia che è vano pensare di altri eroi della città terrena, di altri avvenimenti della storia degli uomini.

Nel flusso di questi eventi ha mutato presso di voi, come muta per ogni altro popolo, con ritmo incessante, con sorprendente volubilità, il volto di tutte le cose. Governi e leggi, opere e istituzioni, correnti di pensiero e di cultura, tradizioni e civiltà, tutto è un perpetuo sorgere e tramontare, nascere e morire, tenere il campo e cadere nell'oblio. Non resta immutato che l'eterno, cioè il bene assoluto. E il bene assoluto,

* Die 15 Augusti mensis a. 1951.

[1] *Eccli.*, 38, 6.

l'eterno, è, quaggiù, nei valori per i quali Sant'Agata è grande e vive. Vive nel tempo, come vive nella eternità.

Quand'anche non restasse di alcuni Martiri che il nome negli annali dell'umanità e della società cristiana, questo nome, che ha la consistenza della virtù, tramandato nei secoli, è splendore che non tramonta, è alimento ai mortali di superiore vita, è forza invincibile di sacrificio e di eroismo, immensamente più consistente del marmo, del bronzo, di tutto ciò che serve a fissare nel tempo la storia degli uomini, individui, popoli e nazioni.

I valori, per i quali la figura di Agata, una delle più venerate Sante dell'antichità, vive ed è custodita nella tradizione quasi bimillenaria, sono la sua fede incrollabile, la sua eroica fortezza, la sua passione per Gesù Cristo. Per questi valori ella, la debole agli occhi del mondo, tutto contò in perdita — come affermava San Paolo — rispetto alla sublimità della conoscenza di Cristo Gesù; per il quale fece getto di tutte le cose, e le reputò lordura per guadagnar Cristo.[2]

Testimoni voi, Catanesi, di questa verità nel fatto della vostra Santa Patrona, voi che la sentite viva e operante in mezzo a voi, come una vita che trascende la terrena, e ogni anno le rinnovate il trionfo attraverso le vostre contrade, voi dovete sentire, oggi che più che mai, il valore unico delle virtù cristiane su tutto ciò che nel mondo ha nome di grandezza, di potenza, di felicità. Voi dovete sentire come soltanto per queste virtù è dato all'uomo di vincere la morte e di guadagnare una vita imperitura; e anche di là dalla morte infiammare al bene, così che la vita dataci da Dio sia testimonianza perenne alla verità e alla giustizia, ed il suo rendimento, nel tempo e oltre i confini del tempo, serva alla edificazione del Regno di Dio sulla terra.

Non è questo nel mondo il proprio ufficio della grande famiglia cristiana in cammino verso la sua vera patria? la sua propria missione di civiltà in mezzo ai contrasti e alle crisi che attraversa? Chi oserebbe affermare che la civiltà è nel culto della vita terrena, e non piuttosto nei progressi dello spirito?

Quello di cui il mondo cristiano oggi ha bisogno per la sua restaurazione è la condotta spirituale, il ritorno a quei valori morali e soprannaturali, che così spesso gli uomini esaltano nei Santi e negano nella vita.

A voi, diletti figli, se intendete il significato profondo dei solenni festeggiamenti, che commuovono la vostra città e la vostra isola, su

[2] Cfr. *Phil.*, 8, 8.

questi valori, cioè sulle virtù del Vangelo, che sono il nerbo della professione cristiana, dovete portare con fervore nuovo, diciamo di più, con nuovo solenne giuramento, l'impeto di fede e di amore, che nel nome di Sant'Agata elettrizza — ben lo sappiamo — oggi e sempre le vostre menti e i vostri cuori.

La vostra vita, diletti figli, la vostra specchiata condotta cristiana, il vostro austero costume, la vostra coraggiosa affermazione di quella fede per la quale Agata colse nel martirio la sua immortalità, ecco la misura vera, genuina, adeguata del vostro sincero culto per questa Martire gloriosa, che voi innalzate a bandiera della vostra pietà religiosa, del vostro civismo e patriottismo.

La vetusta colonna, la veneranda effigie, che questa sera abbiamo illuminate attraverso le onde ubbidienti al cenno dell'uomo, come ostentano agli occhi del mondo il valore massimo della vostra civiltà, la vostra fede e pietà religiosa, così devono essere a voi stessi ammonimento solenne di coerenza, alto, perpetuo, suadente invito di quella Sapienza eterna, di cui è scritto nei Proverbi [3] che « grida in pubblico, e per le piazze alza la sua voce ».

A voi questa Sapienza parla per la gloriosa Sant'Agata. E voi, inchinandovi al simulacro della vostra Patrona, ascoltate la sublime parola che viene dal suo sangue e non invecchia coi tempi. È la parola eterna di Gesù Cristo e del suo Vangelo. In essa è per ciascuno di voi, per le vostre famiglie, per la vostra Città il segreto, la garanzia, il pegno della felicità e della grandezza. Per essa vivrà lo spirito sulla ferma pietra della verità, il cuore nel culto della giustizia e nella pace. Vivranno le vostre famiglie nell'ordine, che viene dal timore di Dio. Sarà prospera per civiltà vera la nobile e a Noi diletta Catania.

Con questi voti — auspice la Regina dei martiri, assunta in cielo ed esaltata sopra tutti i cori degli Angeli e sopra tutte le schiere dei Santi — invochiamo su voi tutti, sulla sacra Gerarchia ecclesiastica e sui magistrati civili, sulle vostre famiglie, e in particolare sui cari infermi e sulla diletta gioventù, la pace di Gesù Cristo e l'abbondanza delle divine grazie, mentre, nuovo pegno della Nostra benevolenza, impartiamo a tutti con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

[3] 1, 20.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

P. Leo Seiller, O. F. M., humiliter se subiecit decreto S. Officii diei 12 Iulii 1951, quo damnata et in Indicem librorum prohibitorum inserta est dissertatio ab eo edita in ephemeride « Franziskanische Studien » (Münster, West., 1948-49), sub titulo « *La Psychologie humaine du Christ et l'unicité de personne* ».

Idem fecit « Directio » ephemeridis « Franziskanische Studien ».

Ex Aedibus S. Officii, die 30 Augusti 1951.

M. Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

CIRCA PRAESCRIPTA CANONUM 534 § 1 ET 1532 § 1 N. 2 C. I. C.

Cum mutata nummorum vis pecuniaeque nutatio alicubi peculiares difficultates induxerit in applicandis praescriptis Canonum 534 § 1 et 1532 § 1 N. 2 Codicis Iuris Canonici, expostulatum est a Sancta Sede ut apta norma ediceretur.

Quapropter Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, re mature perpensa, hoc Sacrae Congregationis Consistorialis Decreto, benigne decernere dignatus est ut, perdurantibus praesentibus adiunctis

et ad nutum S. Sedis, ad eandem Sedem Apostolicam sit recurrendum quotiescumque agatur de pecuniae summa quae decem millia francorum seu libellarum aureorum excedat.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 13 Iulii 1951.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

II

DECLARATIO

Postremis hisce temporibus in Republica Romena multis iisque inauditis modis in Ecclesiam Catholicam impetitum est eiusque sacrosancta iura invasa. Insuper omnes sacrorum Antistites nedum a suis muneribus sunt impediti, sed et in vincula sacrilego ausu coniecti sunt: multis insuper clericis et religiosis libertas adempta est.

Novissime autem Excellentissimus P. D. Augustinus Pacha, Episcopus Timisoarensis, iamdiu captivus, nequissime ad iudicem laicum tractus atque iniquo iudicio subiectus est.

Quapropter haec Sacra Consistorialis Congregatio declarat eos omnes qui huiusmodi delicta patraverint, sive mandantes cuiuscumque generis et gradus, sive complices quos praefata delicta, sua natura, postulaverint sive illos qui ad delictorum consummationem induxerint vel in hanc quoquo modo concurrerint, si tamen sine eorum auxilio delictum non fuisset commissum, excommunicationem latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatam — ad tramitem canonum 2343 § 3, 2334 n. 2, 2341 et 2209 §§ 1-3 — contraxisse ceterasque poenas pro qualitate delinquentium incurrisse, ad normam Sacrorum Canonum Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 17 Septembris, anni 1951.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., a *Secretis*.

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CALARITANA

CANONIZATIONIS B. IGNATII A LACONI, CONFESSORIS, LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Beati Canonizationem.*

S. Laurentius a Brundusio, illud Evangelii commentans: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris* (Mt., 11, 29), « Omnis sanctus et electus, scribit, est Christo simi-« lis, nam Paulus ait: *Deus quos praescivit et praedestinavit confor-« mes fieri imaginis Filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratri-« bus* (Rom., 8, 9). Sic enim intelligendum illud est: *Creavit Deus ho-« minem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum* (Gen., 1, « 27) *hoc est... ad imaginem Christi, qui est imago Dei invisibilis primo-« genitus omnis creaturae* (Col., 1, 15). Quare Christi humanitas, quae « prima fuit creatura in mente divina, exstitit exemplar archetypum « humanae naturae, non solum quoad esse naturale, sed etiam quoad « supernaturale gratiae et gloriae » (Vol. IX, 165). Beatus Ignatius simillimus Patriarchae Francisco fuit, qui « specialiter Christo similis factus est ». In eo enim, ut in Francisco, humilitatis, arctissimae paupertatis, proximorum salutis, caritatis in Deum, despectus sui, paenitentiae asperrimae, iugis orationis ardentissimum studium enituit. Quas virtutes miraculorum gloria sive ante sive post mortem Deum rependit. Unde factum est ut Ssmus D. N. Pius Papa XII eum die 16 Iunii a. 1940 Beatorum fastis adiunxerit; novaque post Beatificationem accedentia signa, causa resumpta, die 27 Martii anni huius, approbaverit.

Strata est igitur ad Canonizationem via. Verumtamen iustis de causis, praecipue vero ut iuridice constet a Sacra hac Congregatione omnia de iure servanda fuisse servata, in Generali coetu coram Summo Pontifice dubium est disceptandum: *An, stante duorum miraculorum approba-*

tione post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Beati Canonizationem.* Dubium hoc a Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, in Generali Congregatione die 3 Aprilis nuper elapsi, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII habita, fuit propositum, cui Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores affirmativo unanimi suffragio responderunt. Beatissimus vero Pater sententiam in re tam gravi ferre aliquantisper cunctatus est ut rem coram Deo Suis adstantiumque precibus perpenderet. Diem autem hunc selegit ut Suam mentem aperiret. Eapropter Reverendissimis Cardinalibus Alexandro Verde atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto, R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore Generali meque infrascripto Secretario accitis, sacris operatus, edixit: Tuto *procedi posse ad Beati Ignatii a Laconi sollemnem Canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 1 Maii 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

II

BOBIEN.

CANONIZATIONIS B. ANTONII MARIAE GIANELLI, EPISCOPI BOBIEN., FUNDATORIS CONGREGATIONIS SORORUM B. M. V. AB HORTO.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Beatus Antonius Maria Gianelli inde a pueritia ad quem heroicarum virtutum gradum esset ascensurus, atque quonam animarum zelo accensus foret, aperte visus est portendere. Puerulus enim in exemplum aequalibus passim habebatur quod ad familiarem vivendi disciplinam, in studiis diligentiam, pietatemque; immo mirantibus omnibus fere sexennis de S. Ioanne Baptista contionari ad confertum populum prope ecclesiam non est cunctatus. Sacerdotio a. 1812 auctus sacri ministerii muniis impigre est functus. Vice parochi officium ad S. Matthaei Ianuae gessit, Missionibus popularibus in eiusdem civitatis suburbio, postea vero alibi quoque magno animorum fructu sedulo attendit.

Anno 1826 Clavarensis Archipresbyter electus duodecim annos grave hoc officium tenuit. Quo autem fructuosius hoc fieret, Congregationem Missionalium a S. Alfonso et Institutum Filiarum Mariae Sanctissimae ab Horto condidit. Eius precibus ac voluntariae asperitati vitae ad populi peccata luenda, merito fuit tributum Clavarenses a cholerico morbo, per circuitum grassante, immunes evasisse.

Anno 1837 Bobiensium Episcopus factus, sanctissime dioecesim octo annos moderatus est. Die 7 Iunii a. 1846 ad Superos evolavit. Servatis de iure servandis Beatificationis gloria die 19 Aprilis a. 1925 fuit honestatus. Sequenti anno Canonizationis causa fuit resumpta; duaeque mirae sanationes Sacrae huic Congregationi fuere exhibitae, de quibus hic fit sermo:

I. Sanatio, qua trimestris puella, Ravera Zattera, Beati Gianelli implorato patrocinio, fruita est, miraculo evidenter est tribuenda. Ravera enim invaginationem ileo-colicam cum occlusione passa est, uti cum medentes, tum ex officio periti Medicumque Nostrae Congregationis Collegium unanimi consensu asseverant. Die 1 Iunii ventum quidem est ad chirurgicam actionem, verum intestinales tunicae iam discissae inventae sunt ac emortuae cum imminenti vitae periculo. Quare chirurgus a prosequenda ac perficienda actione se abstinuit. Verum die 3 Iunii intestini coagmentatio perfecta est, ultra omnes naturae vires, uti cuncti periti nos docent. Toxihaemia ceteraque mortifera adiuncta pariter illico cessarunt, manentibus tantum nonnullis consectariis, quae paullatim evanuerunt, quaeque clinicae ac anatomicae sanationi, peritorum iudicio, non obstant.

II. Alterum, quod affertur miraculum, puerum Aldum Simonelli respicit. Hic purpura haemorrhagica fuit affectus, uti duo nosocomii Spediensis a cura medici edicunt; quam diagnosim duo officiales periti atque Medicum nostrae Congregationis Collegium confirmant.

Morbus hic adeo insaeviit, ut die 17 Aprilis a. 1949 ad praeagonicum statum infirmum adduxerit, uti medentes et infirmorum ministrae deponunt. Omni sanationis spe amissa, sero eiusdem diei apposita pueri corpori fuit imago Beati Gianelli, ferventesque preces, eius interventum implorantes, effusae. Eodem sero omnia morbi phaenomena evanuerunt; puer perfecta exinde gavisus est valetudine: hoc totum praeter naturae ordinem, uti seu medentes, seu officiales periti seu Medicum Collegium concorditer edicunt.

In Clavarensi Curia Apostolicae inquisitiones super priori miraculo; in Spediensi super altero factae sunt; pro quarum iuridica vi diebus 6 Martii a. 1949 ac 29 Novembris a. 1950 edita sunt decreta.

Diebus 18 Iulii a. 1949 et 29 Maii 1950 Medicum nostrae Congregationis Collegium, Rmi Cardinales diebus 10 Ianuarii a. 1950 et 23 Ianuarii a. 1951 in Praeparatorio Coetu de his miraculis disceptavere. Die demum 3 Aprilis huius anni Generalis Congregatio coram Ssmo D. N. Pio Papa XII habita est, in qua Rmus Cardinalis Fridericus Tedeschini, Causae Ponens dubium posuit discutiendum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Beatissimus Pater auditis Rmorum Cardinalium, Praelatorum et Consultorum suffragiis, supremum distulit edere iudicium, ut divini amplioris luminis gratiam imploraret. Diem autem hunc ad ferendam sententiam elegit.

Arcessitis itaque Rmis Cardinalibus Friderico Tedeschini, Causae Ponente atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore Generali meque Secretario, Sacrosancto Missae sacrificio religiose litato, edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Raverae Zattera ab invaginatione ileo-colica tum Aldi Simonelli a purpura haemorragica primitiva.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 1 Maii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

III

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS B. FRANCISCI XAVERII M. BIANCHI, SACERDOTIS PROFESSI CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM S. PAULI BARNABITARUM.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Etsi plures sunt in Ecclesia qui, divina opitulante gratia, humilitate, sui contemptu, patiendi studio, proximorum salute procuranda, caritate in Deum, ceterisque virtutibus floruerunt et florescunt, non unam sectati sunt ac sectantur viam, secundum sapientissimum ac misericordissimum Dei consilium, qui omnia ad hominum salutem moderatur. Proinde maximo animi solatio nobis, pro uniuscuiusque indole ac ingenio, exemplum imitandum datum est admirari.

B. Franciscus Xaverius M. Bianchi, qui legiferi Patris, S. Antonii M. Zaccaria, animum abunde hauserat, proximos festivo ingenio, quo a natura fuerat praeditus, velut alter S. Philippus Nerius, amabili industria ad Deum mire attrahebat. Quare innumeros peccatores Deo reconciliavit, plurimosque ad viam perfectionis adduxit, recte Neapolis apostolus nuncupatus.

Quod in hoc apostolico ministerio heroicas ipsum, tanti Patris exempla imitando, exercuisse virtutes ex sollemni Beatificatione, qua die 19 Decembris a. 1892 a Leone XIII fuit honestatus, evidentissime constat. Immo novis signis modo certe apparet Deum eum velle ad altiora elevare. Duo enim miracula eius efficaci interventione Deus patravit, quae ad canonizationem sternunt viam, de quibus in decreto hoc fit sermo:

I. Iudith Santivecchi, Vidua Iacarella, Perusiae commorans, cancro in stomacho et intestinis fuit attacta. Qui morbus adeo invaluit, ut ad vitae extremum eam adduxerit: quare sacro viatico fuit roborata.

Tum ferventer Beatus Franciscus Xaverius M. Bianchi fuit invocatus per novendiales preces. Secundo harum die, nimirum 1 Aprilis a. 1933, Iudith de repente sanata est, omnibus morbi adiunctis penitus dispulsis. Sanatio non modo fuit perfecta sed etiam perseverans per undecim annos, quo temporis spatio nullum praeteriti morbi indicium eam vexavit. Die 20 Martii anno 1944, myocardite, cerebrali embolia atque cardiaca paralysi correpta, annos nata septuaginta novem, diem supremum obiit.

II. Vincentius De Rosa, neapolitanus, mense Augusto a. 1937 post influentialem febrim ab oto-mastoidite purulenta affici coepit, qua postea ingravescente, ossea caries et stenosis in aure dextera successit. Necessariae, medicorum iudicio, chirurgicae actioni, Vincentius noluit subici, interventui B. Bianchi fidens, quem ferventibus precibus exoravit. Die 30 Octobris radiographica imago ostendit: « suppurativam ma« stoiditem cum basalium cellularum dexterae mastoideae apophyseos « destructione in actu ». Morbus huiusmodi nullimode solis naturae viribus medicorum iudicio potest sanari nisi solum gradatim, lente ac perdiu aptis adhibitis curis. E contra die 3 Novembris omnia morbi symptomata atque atroces dolores prorsus cessarunt. Vincentium perfecte sanatum periti edixerunt.

Super his miris sanationibus Apostolica auctoritate Perusiae ac Neapoli constructi sunt processus, quorum iuridica vis, per decretum die 28 Februarii a. 1940 latum, est recognita. Die 9 Februarii a. 1942 coram Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, Antepraeparatoria Congregatio habita est. Medicum Collegium in hac Sacra Con-

gregatione recenter institutum de altero miraculo diebus 31 Martii a. 1949 et 13 Februarii sequentis anni disceptavit. Praeparatoria Congregatio die 3 Ianuarii elapsi anni coacta est: Nova Praeparatoria super altero miro die 13 Aprilis eiusdem anni; Generalis demum coram Ssmo die 13 Aprilis anni huius; in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde dubium disceptandum proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.*

Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque protulit sententiam; Beatissimus vero Pater ad supremum iudicium edendum diem hunc selegit, ut interim Deum Patrem luminum Suis adstantiumque precibus exoraret.

Quapropter ad Se Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente, atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Generali Promotore meque Secretario arcessitis, sacrosancto Missae sacrificio devotissime oblato edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione, cum Iudithae Santivecchi, Viduae Iacarella a cancro stomachi et intestinorum, tum Vincentii De Rosa a chronica oto-mastoidite purulenta cum carie ossea et stenosi in aure dextera.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 1 Maii 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Venerdì, 14 settembre 1951, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Signor Dott. NEDYAN RAGHAVAN, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario dell'India, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

MONITUM

Excmi ac Revmi Ordinarii, qui facultate usi sunt, per Decretum S. Rituum Congregationis sub die 9 Februarii currentis anni concessa, celebrandi instauratam vigiliam paschalem, et relationem de successu eiusdem celebrationis, ad normam praefati Decreti, nondum dederunt, enixe rogantur, ut huiusmodi relationem ad eandem S. Congregationem quam primum mittere velint.

1 Augusti 1951.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto in data 29 agosto 1951, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare l'Illmo e Revmo Monsig. Nabuco Gioacchino, *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti per la Sacra Liturgia.*

Parimenti con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

27 febbraio 1951. Monsig. Mone Pasquale, della diocesi di Cajazzo.
10 aprile » Monsig. Marlewski Francesco, dell'arcidiocesi di Posnania.
26 maggio » Monsig. Rawlins Giovanni Giacomo, dell'arcidiocesi di S. Giovanni di Terranova.

21 giugno 1951. Monsig. Loriga Michele, dell'arcidiocesi di Sassari.
23 » » Monsig. Mahony Pietro, della diocesi di Sandhurst.
4 luglio » Monsig. Dulčić Giorgio, della diocesi di Lesina.
» » » Monsig. Guilbaud Luigi, della diocesi di Guadalupa.

Prelati Domestici di Sua Santità:

23 novembre 1947. Monsig. Jaivenois Alessandro Fr., dell'arcidiocesi di Sens.
17 febbraio 1949. Monsig. Poschmann Bernardo, dell'arcidiocesi di Breslavia.
» » » Monsig. Steffes Giovanni, della diocesi di Muenster.
5 marzo » Monsig. Kwasny Casimiro, della diocesi di Premislia dei Latini.
17 settembre » Monsig. Segourn Giuseppe Damiano, della diocesi di Pueblo.
» » » Monsig. Thome Leone G., della medesima diocesi.
22 dicembre » Monsig. Hervé-Bazin Michele, dell'arcidiocesi di Cartagine.
» » » Monsig. Bedu Eugenio, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Anthérieu Stefano, della diocesi di Nîmes.
» » » Monsig. Sanguinède Carlo, della medesima diocesi.
15 gennaio 1950. Monsig. Jobit Pietro, della diocesi di Angoulême.
» » » Monsig. Boissy Ferdinando, della diocesi di Viviers.
» » » Monsig. Delenne Marcellino, della medesima diocesi.
18 febbraio » Monsig. Baillargeau Celestino, dell'arcidiocesi di Bourges.
» » » Monsig. Bedu Emilio, della medesima arcidiocesi.
